

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 41

In nomine sancte et individue Trinitatis, Karolus divina ordinante providentia imperator augustus. Dignum est ut imperialis sublimitas sacerdotum ac servorum Dei utilitatibus tanto benignius ac libentius faveat, quanto eos in divinis rebus studere et moribus concordari perspexerit. Idcirco omnium sancte Dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium videlicet et futurorum noverit industria, quia Antonius venerabilis episcopus per precatum Liutberti Moguntiacense sedis archiepiscopi deprecatus est nostram celsitudinem pro quibusdam fratribus sibi commissis ex monasterio quod vocatur Stabulaus, qui ob Dei omnipotentis amorem nostramque fidelitatem pignora sanctorum a predecessorum nostrorum prudentia Aquis recognita cum thesauro ejusdem fideliter reservaverunt et ad nos absque ulla diminutione detulerunt, ut concederemus eis quemdam fisculum nostrum Blandouium nomine, qui est in pago Leuueni, cum capella et pertinentiis ejus, mansos lediles XXXII, serviles XII, capellam etiam ex Brattis quam olim se habere scriptis professi sunt, ad restaurationem ecclesie que est in honore Petri apostolorum principis dicata, ubi etiam agius requiescit Remaclus, per nostre auctoritatis preceptum confirmare dignemur. Nos quoque postulationibus illorum libenti animo aures serenitatis nostre accommodantes, concedimus eis juxta postulationem illorum ob amorem Domini et Salvatoris nostri supradictum fisculum cum capella et pertinentiis suis, capellam quoque suprafatam ex Brattis, ad luminaria et restaurationem ecclesie ante predictae. Et ut ardentiores et promptiores in Dei ac nostro parati sint obsequio, et ut pro nobis et predecessoribus nostris studiosius delectet orare, jussimus de supradictis rebus hoc nostre auctoritatis preceptum asscribi, per quod decernimus atque omino jubemus ut nullus fidelium nostrorum qui supradictam abbatiam in beneficium habuit, vel alia aliqua judicialis potestas predictos fratres de suprafatis rebus inquietare presumat, nec in alios convertat usus. Et ut hec nostre largitatis concessio futuris temporibus ab omnibus diligentius observetur, manu propria nostra subscribentes et anulo nostro subter sigillari jussimus.

Signum domni Karoli serenissimi imperatoris.

Waldo cancellarius ad invicem Liuthuardi archicancellarii recognovi.

Data idus novemb., anno dominice incarnationis DCCCLXXXII, indictione XV, anno vero piissimi Karoli II°. Actum in Wormatia civitate, in nomine Christi feliciter. Amen.